Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Warburg

für das

Schuljahr 1887—1888,

erstattet durch

den Direktor

Prof. Dr. J. Hense.

Inhalt: 1. Abhandlung: De Pseudo-Plutarchi Institutis Laconicis, vom wissenschaftl. Hülfslehrer Ludwig Schunck.
2. Schulnachrichten.

Warburg, 1888.
Druck der M. Schilp'schen Buchdruckerei.

1888. — Progr.-Nr. 347.

Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Warburg

für das

Schuljahr 1887—1888,

erstattet durch

den Direktor

Prof. Dr. J. Kenſe.

Inhalt: 1. Abhandlung: De Pseudo-Plutarchi Institutis Laconicis, vom wiſſenſchaftl. Hülfslehrer Ludwig Schunck.
2. Schulnachrichten.

Warburg, 1888.
Druck der M. Schilpſchen Buchdruckerei.

1888. — Progr.-Nr. 347.

De Pseudo-Plutarchi Institutis Laconicis.

Pars prior.

I.

Jure mireris, cur de ea parte Plutarchi scriptorum, cui Apophthegmata vulgo inscribitur, docti viri ita iudicio inter se dissenserint, ut alii spuria esse ac subditicia illa apophthegmata contenderent, ut quae Plutarchi praeclarissimo ingenio omnino essent indigna, alii, si minus omnia, at certe magnam partem a Plutarcho aliena esse dicerent, alii, ut non posse dubitari concederent, quin Plutarchus ea, quae a praeclaris viris scite dicta essent, colligere atque in unum corpus redigere in animum induxisset. ita non, qualia tradita sunt, ad Plutarchum ipsum referenda esse statuerent. Utcunque se res habet, Benselerum statuamus necesse est mire iudicasse, qui ut primam partem apoththegmatum, quae regum et imperatorum dicta exhibet, quanquam hiatibus foedatam Plutarcho non omnino abiudicare ausus est, ita apophthegmata Laconum et Lacaenarum ad illum vocanda esse confidenter negavit. „Fortasse, inquit, miraberis, quod neque cum Xylandro facio, qui se neque praefationem, neque opus ipsum magni Plutarchi esse credere fatetur, neque cum Wyttenbachio, qui materiam e scriptis Plutarchi collectam et a posteriore quodam homine iu hanc tenuitatem esse redactam censet. Mihi autem non improbabile esse videtur Plutarchum ipsum eiusmodi opus, quo dicta et facta quaedam virorum clarorum breviter enarrentur, in usum et delectationem eorum, qui, quominus ampliora scripta legerent, negotiis erant impediti, id, quod in Traianum etiam cadebat, composuisse.“ Quod vero regum apophthegmata pluribus quam alii Plutarchi libri hiatibus foedata essent, ita explicari et excusari posse contendit, ut Plutarchum ea, quae a praeclaris viris dicta essent, iisdem verbis, quibus relata invenisset, narrasse aut nonnulla ab aliis addita esse statueret. Maximi vero momenti Benselero videtur, quod in praefatione huius libri praeter unum, qui e codicibus possit corrigi, hiatus offendat nullus. (Cfr. de hiatu. p. 439.)

Sed parum sibi constare Benselerum statuamus necesse est, quod primam partem, qua dicta regum et imperatorum exhibentur genuinam, reliqua omnia spuria esse contendit. Nam hiatus per totam hanc partem Plutarchi scriptorum reperiuntur et forte potius videtur factum esse, ut regum apophthegmata non tam multis foedata sint hiatibus quam dicta Laconum et Lacaenarum. Neque vero contendere mihi in animo est haec scripta iure ad Plutarchum referri, cum ne id quidem historiae fide exploratum habeamus neque ullo satis certo argumento verisimile effici possit Plutarchum praeclarorum virorum apophthegmata collecta et in libros redacta edidisse. Erravit Gierigius, qui id Sopatri sophistae auctoritate comprobari docuit. (Cfr. Inst. Lac. ed. Gier. p. VI.)

Quod quo melius cognoscatur, Photii locum (Bibl. cod. 161 p. 104a.), unde id colligendum censuit, afferam. ὁ δὲ ὄγδοος (sc. λόγος διήνθισται vel συνηθροίσθη) ἐκ τόμου τινὸς ἀρχαίου. ἐκλογαὶ καὶ αὐτὸ τυγχάνει τὸ βιβλίον οὐκ ἔχον ἐπιγραφόμενον τὸν συνηθροικότα. ἐν οἷς τάς εἰς μέγα δόξης καὶ ὄνομα λαμπρὸν ἀρθείσας γυναῖκας καταλέγει καὶ ἀνδρῶν ἐνίων ἔργα καὶ ἐπὶ παιδείᾳ λόγων συνουσίας ἀρετήν τε αὖ φιλίας καὶ τῶν σπουδαίων ἀποφθέγματα. σύγκειται δὲ αὐτῷ καὶ ἐκ τῶν Πλουτάρχου. κτλ. Num igitur quisquam σπουδαίων ἀποφθέγματα a Plutarcho esse conscripta hoc loco potest evincere? Immo vero, quae Plutarchi sunt, ab illis apophthegmatis plane separantur neque est, cur ea, quae e Plutarchi scriptis petita illi codici adscripta fuisse Photius commemorat apophthegmata fuisse putemus. Nam quod dicitur iis rebus, quarum antea erat mentio facta (καταλέγει γυναῖκας — σπουδαίων ἀποφθέγματα) addita esse quaedam e libris Plutarchi (σύγκειται δὲ αὐτῷ καὶ ἐκ τῶν Πλουτάρχου) verbis ἐκ τῶν Πλουτάρχου apophthegmata esse intellegenda eo vetamur statuere, quod Photius titulos Plutarchi scriptorum, unde lectum librum exscriptum esse commemorat, diserte affert, neque ullum librum ad apophthegmata pertinentem in iis titulis reperies. Ita enim oratio procedit: σύγκειται δὲ αὐτῷ καὶ ἐκ τῶν Πλουτάρχου περὶ τοῦ πῶς δεῖ τὸν νέον ἀκούειν ποιημάτων περί τε φύσεως καὶ πόνων ὅπως τε πολλοὶ πολλάκις πόνῳ τὴν φύσιν οὐκ εὖ φερομένην ὤρθωσαν, ἕτεροι δὲ καλῶς ἔχουσαν ἐξ ἀμελείας διέφθειραν ὅπως τε ἔνιοι ἐν μὲν νέοις βραδεῖς ἐνωρῶντο πᾶσι καὶ ἀσύνετοι ἀκμασάντων δὲ εἰς τὸ ταχὺ καὶ συνετὸν αὐτοῖς ἡ φύσις ἐξέλαμψε καὶ ἐκ τοῦ περὶ δυσωπίας δὲ λόγου καὶ περὶ ἀδολεσχίας καὶ περὶ ὀργῆς καὶ ἐκ τοῦ πῶς ἄν τις ὑπὸ ἐχθρῶν ὠφελοῖτο καὶ περὶ εὐθυμίας δὲ καὶ τῶν πολιτικῶν αὐτοῦ παραγγελμάτων περί τε πλούτου καὶ ὅπως ἄν τις συναίσθοιτο ἑαυτοῦ πρὸς ἀρετὴν ἐπιδιδόντος ἔκ τε τῶν ὑγιεινῶν αὐτοῦ καὶ γαμικῶν παραγγελμάτων. Et quae deinde sequuntur: καὶ δὴ καὶ ὁ ἔνατος αὐτῷ ὁμοίως ἐκ τῶν Πλουτάρχου συνετμήθη non ita intellegenda esse, ut Photio etiam octavum librum totum e Plutarcheis conscriptum esse visum statuendum sit (id quod Gierigium suspicatum esse patet) toto verborum conexu satis comprobatur. Qui si etiam priorem partem lecti libri e Plutarchi scriptis esse petitam existimasset, certe neque antea dixisset (συνηθροίσθη) ἐκ τόμου τινὸς ἀρχαίου et postea σύγκειται δὲ αὐτῷ καὶ ἐκ τῶν Πλουτάρχου κτλ. Sed fac etiam ea, quae commemorantur σπουδαίων ἀποφθέγματα ad Plutarchum redire, num inde magis efficeretur id quod vult Gierigius, continuum quoddam opus apophthegmatum a Plutarcho esse conscriptum? Num illa σπουδαίων ἀποφθέγματα, quae lecto libro contineri Photius dicit, e vitis Plutarchi minus viderentur petita esse quam e continuo quodam opere apophthegmata praeclarorum virorum enarrante?

Quae cum ita sint quanquam per se haud sit absurdum statuere Plutarchum illustrium virorum scite dicta conscripsisse, ut libris suis ea insereret, tamen continuum corpus apophthegmatum ab eo esse confectum atque editum neque hoc loco Photii neque ullo alio satis certo argumento potest comprobari. Nam quid de Lampriae catalogo sit iudicandum, cuius auctoritate idem Gierigius in apophthegmatis nititur, paulo post videbimus.

Sed num sint apophthegmatum libri genuini ac iure locum obtineant inter Plutarchi scripta, non mihi proposui diudicandum, cum satis accurate et ab aliis et a Volkmanno in his libris quaestiones institutae sint.

Unam vero partem eorum, qui apophthegmata exhibent librorum interpretes minus dignam videntur iudicasse, in quam accuratius inquirerent. Hic libellus, cui inscribitur Instituta Laconica, ita est Apophthegmatis interpositus, ut inter Laconum et Lacaenarum apophthegmata locum obtineat. Qui utrum vere sit Plutarcheus necne, cum ne nostris quidem diebus docti viri satis consentire videantur, non inutilem mihi visus sum operam sumpsisse, si de ea re quaestionem instituerem. Qua absoluta deinceps de forma libelli disputabo et, quae possunt cognosci de auctoribus, quibus eius scriptor usus sit, expromam.

II.

Primo Gierigio libellus de institutis Laconicis satis dignus est visus, in quo paulo accuratius quaestiones instituerentur. Quem ut non iniuria num genuinus esset hoc opusculum in dubium vocasse statuamus necesse est, ita graviora ei afferenda erant argumenta, quibus libellum a Plutarcho alienum esse efficeretur et quod de origine opusculi statuendum censuit, in eo plane illum errasse videbimus.

Ac de Apophthegmatis quidem ita ille tulit iudicium, ut Sopatri sophistae auctoritatem secutus librum quendam nobilium virorum scite dicta exhibentem a Plutarcho conscriptum esse existimaret, praesertim cum catalogo Plutarchi scriptorum, qui ad Lampriam, Plutarchi filium, vulgo referebatur, satis id comprobatum esse ei videretur. Sed quid de hoc loco Photii esset iudicandum supra vidimus. In Lampriae autem catalogo, ut Apophthegmatum Laconicorum est mentio facta (Cfr. Progr. gymnas. Waldenburg. 1877 p. 2), ita huius libelli titulum reperies plane omissum. Sed nimium facere eos, qui vel inde spurium esse eum vellent colligere docuit Gierigius, auctoritatem secutus Fabricii, qui „cavendum esse monet, ne quis silentio eius (sc. Lampriae) abusus quorundam Plutarchi libellorum αὐθεντίαν impugnare ausit". (Cfr. Gier. ed. p. X.) Nam cum ille catalogus mutilus traditus sit, huius libelli titulus facile potuit esse in numero eorum, qui temporum iniuria interciderunt. Praeterea hic libellus apophthegmatum libris interpositus est et potest verisimile videri eum, qui titulos Plutarchi scriptorum in catalogum redigeret, huic libello, item ad Lacedaemonios pertinenti non peculiarem titulum inscripsisse, sed apophthegmatum titulo hoc quoque opusculum voluisse comprehendi. Quid vero quod ut locum e Photii bibliotheca allatum nullius momenti ad hanc rem esse supra vidimus, ita Lampriae catalogum non plus valere sollerter docuit A. Schaefer in ea commentatione, quam scripsit de libro vitarum decem oratorum. (Cfr. p. 27.) Qui neque Lampriae tribuendum esse illum catalogum neque denique fuisse unquam Lampriam, Plutarchi filium satis certis argumentis comprobavit. (Cfr. Volkmann: De Plut. Chaeron. vita et scriptis I, p. 108.) Idem catalogum non ipsius Plutarchi aetate neque paulo post, sed Suidae demum temporibus esse confectum in eadem commentatione iure videtur contendere.

Quae cum ita sint neque inde, quod libelli de institutis Laconicis in Pseudo-Lampriae catalogo nulla mentio est facta, eum subditicium esse licet concludere, neque si mentio facta esset, inde genuinum esse pro certo efficeretur, cum eo tempore, quo tituli librorum Plutarchi in catalogum sunt redacti, multa fuisse scripta Plutarcho subdita inde compertum habeamus, quod in eum recepti sunt libri sine dubio spurii, quibus inscribitur „de metris, de fluviis, de vita et poesi Homeri, de fato", alii, quorum tituli in catalogo reperiuntur.

Gierigius duas maxime attulit causas, quare libellum de institutis Laconicis Plutarcho abiudicandum existimaret. „Primum enim, inquit (l. c. p. x.), si Plutarcho placuisset proprio libello retractare illud argumentum, curasset haud dubie, ut is sive a copia, sive ab alia quacunque virtute commendationis aliquid haberet prae Lycurgi vita. Hunc vero videmus adeo nihil praecipui habere, ut potius imperfectior sit multis numeris minusque elaboratus et paucissima habeat, quibus careat illa. Deinde quod in apophthegmatis notavi non exiguam eorum partem verbotenus transscriptam esse ex aliis auctoribus, id haud scio an multo magis de hoc opusculo dici possit, cuius loca longe plurima iisdem fere syllabis in vita Lycurgi reperies paucis vel immutatis vel aliunde adspersis." His maxime causis ductus subditicium esse libellum de institutis Laconicis contendit. Quod vero dubitari posse idem dicit „an credibile sit venisse

Plutarcho in mentem omni institutorum Laconicorum ratione in vita Lycurgi copiose et perspicue exposita peculiari libello denuo rem tractandam sibi sumere" sane quidem in hac re certis testimoniis non magis adiuvamur quam in apophthegmatis. Sed quanquam huius rei vetera testimonia habemus nulla, tamen haud absurdum videatur Plutarchum res Laconicas peculiari libello tractare voluisse, praesertim cum in vita Lycurgi ea maxime exhibeantur instituta, quae ad praeclarissimum illum legum latorem referenda esse Plutarchus censeret; sed quis tam praeclari ingenii virum, qualem illum fuisse constat, eandem rem iisdem partim verbis retractaturum fuisse existimet? Immo, qui libellum Plutarcho tribuendum velit, vix facere possit, quin quasi materiam quandam eo exhiberi statuat, ab illo sine certo ordine et consilio collectam, unde, quae apta ei viderentur, vitae Lycurgi insereret. Quanquam ne ita quidem omnes difficultates tolluntur, cum et mirum videatur necesse sit materiae aliunde petitae perpauca frusta in vitam Lycurgi recepta esse neque denique Plutarchum talia compilasse verisimile sit. Quae si ab illo conscripta esse volumus, non alio consilio id factum esse existimare possumus, quam ut collectis rebus quasi materia quadam uteretur ad describendam vitam Lycurgi. Hic vero libellus, tantum abest, ut Lycurgea tantum instituta contineat, ut ex maiore aliquo opere videatur excerptus praeter Lycurgea etiam posterorum temporum instituta accuratius tractante. Cfr. Inst. Lac. §§ 32, 33, 35, 37, 38 alia, quae ad instituta Lycurgea minus pertinentia a Plutarcho ad describendam vitam praeclarissimi illius legum latoris excerpta esse vix quisquam crediderit. Quare id, quod Gierigius statuit, libellum Plutarcho abiudicandum esse, quanquam non possumus non concedere, cum neque Plutarchum haec compilasse, quibus uteretur in conscribenda vita Lycurgi ullo modo verisimile possit effici et e vita Lycurgi ab ipso Plutarcho exscripta esse plane absurdum sit credere, tamen quod de origine eius opusculi existimavit, satis certis argumentis potest refelli.

Atque ita quidem de origine libelli Gierigius tulit iudicium, ut a patre quodam familias aut litterarum magistro eum partim e vita Lycurgi, partim aliunde exscriptum esse censeret in usum filiorum vel discipulorum; qua coniectura omnes ait difficultates evanescere. Cfr. l. c p. XI.

Sed praepopere in hac re Gierigius tulit iudicium, quod libellum e vita Lycurgi partim exscriptum esse censebat. Neque enim sola verborum similitudine id sequitur, nisi instituta Laconica post Plutarchi aetatem conscripta esse antea demonstraveris, id quod nullo argumento ne verisimile quidem potest effici. Neque respexisse videtur Gierigius eam, quam videmus verborum similitudinem non minus facile ita explicari posse, ut Plutarchum et huius libelli scriptorem ab eodem auctore tanquam fonte res repetivisse statuamus. Quid quod partim alia hic liber exhibet, quorum in Lycurgo ne mentio quidem facta est? Neque facile scriptorem tam inepte res conscripsisse verisimile est, ut pauca e Lycurgi vita mutuaret iisque nonnullos quodammodo pannos aliunde petitos assueret vel potius insereret. Immo, si res hoc libello narratae e vita Lycurgi fluxissent, vix dubium esse potest, quin ea ipsa, quae Plutarchus ibi memoriae tradidit, hoc libello exhiberentur quasi in epitomen coacta, non permixta aliis rebus aliunde petitis. In eandem fere sententiam disputavit Volkmannus, qui instituta Laconica e Lycurgo petita esse ob eam rem negat verisimile esse, quod alia partim et plura libellus contineat, quam quae vita Lycurgi habeat. Quod ille effecisse sibi videtur quanquam haud improbandum censemus, tamen id ipsum, quod praeter Plutarchea etiam alia hoc libello narrantur, non tam magni momenti est quam quod ea, quae a Plutarcho sunt aliena, cum iis, quae inde videntur petita, permixta sunt. Neque enim dubium est, quin si scriptor e duobus operibus res hausisset, Plutarchea ab alienis videremus seiuncta. Tantum autem abest, ut, quae Plutarchi videntur, alteram partem libelli efficiant, alteram res aliunde mutuatae, ut Plutarcheis aliena videas inserta, alienis rursus Plutarchea. Accedit, quod si libellus e Lycurgo excerptus esset, ea, quae essent Plutarchi, sine dubio eodem ordine, quo res in ea vita compositae sunt, scripta reperirentur. Sed ut in iis rebus, quas uterque habet, eodem utrumque ordine usum videmus, ita nonnunquam rerum ordo in Institutis Laconicis commutatus est.

Quod quo magis appareat, videamus, quo ordine singula apud utrumque composita sint.

Inst. Lac.		vita Lyc.
§ 1, 2, 3	— — — — —	c. 12.
§ 4, 5, 6	— — — — —	c. 16.
§ 12, 13	— — — — —	c. 17.
§ 14, 15, 16	— — — — —	c. 21.
§ 18	— — — — — —	c. 27.
§ 19, 20	— — — — —	c. 27.
§ 29	— — — — — —	c. 28.
§ 34	— — — — — —	c. 14.
§ 40	— — — — — —	c. 24.
§ 42 init.	— — — — —	c. 39.

Quodsi libellum e Lycurgo partim conscriptum esse putamus, neque cur ordo Plutarcheorum ita sit commutatus neque cur Plutarchea alienis permixta sint intellegi potest, cum scriptorem certo quodam consilio in rebus hoc ordine compositis usum esse probabile effici nequeat.

Quanquam vel ex his, quae disputavimus, satis dubium esse patet, num recte Gierigius de origine libelli iudicaverit, graviora argumenta, quibus, quod ille statuit, omnino refellatur, infra afferemus. Ac ne in eo quidem, quod de scriptore ipso censuit iudicandum, satis ille sibi constat. Nam cum Rualdus Lampriae, de quo quid statuendum esset supra vidimus, Vossius alii Plutarcho minori, cuius Tzetzes fecit mentionem, libellum de institutis Laconicis tribuissent, ipsi Gierigio „pater quidam familias aut litterarum magister" eum videtur conscripsisse. Quam sententiam, quo stabiliret, nonnisi ea, quae scire pueros interesset, e Lycurgi vita petita esse contendit, alia, quae scire illos minus interesset neque usui esset scire, velut leges de nuptiis, de procreandis liberis, aliis rebus latas, esse omissa. Puerilis quidem sententia et parum digna, cui fides habeatur, si quidem multa, quae cognosci non minus interesset, quam quae hoc libello narrantur, vides omissa. Quare cum ne in hac quidem re scriptorem certum consilium sequi videamus, iure dubitandum est, num recte Gierigius iudicaverit. Praeterea Gierigium ipsum ita statuisse cognovimus, ut multis partibus libellum imperfectiorem putaret quam vitam Lycurgi. Ipse neglegentissime in conscribendo scriptorem esse versatum docuit (Cfr. l. c. p. x.). Itaque parum sibi constat Gierigius, qui neglegenter librum consutum esse profiteatur idemque eundem librum a magistro litterarum in usum puerorum confectum esse contendat. Nam vix potest dubium esse, quin is, qui magister litterarum opusculum in usum discipulorum conscribere in animum induxisset, omni studio id fuerit acturus, ut librum puerorum manibus destinatum magis venustum, politum, certe magis ratione quadam compositum conficeret et diligentius elaboratum puerorum manibus traderet.

Quae cum ita sint reiciendam censemus Gierigii coniecturam ut parum verisimilem neque dubitamus contendere vix inveniri posse argumentum, quo ea sententia ex aliqua saltem parte possit confirmari. Ceterum hanc Gierigii de origine huius opusculi sententiam non ortam esse patet nisi inde, quod magnam partem exscriptum id esse putaret e vita Lycurgi, cuius rei praeter verborum similitudinem argumentum attulit nullum.

Rualdi sententia, quem Lampriae, Plutarchi filio, hunc libellum tribuisse videramus, aliquam quidem partem excusari potest, cuius viri temporibus, num fuisset Lamprias, praeclarissimi illius Chaeroneensis filius, nondum in dubium esset vocatum. Cui Lampriae cum catalogus tribueretur, facile fieri potuit, ut libri minus elaborati quique, ut Apophthegmata et Instituta Laconica verborum prae se ferrent similitudinem cum Plutarcheis, ad Plutarchum ipsum referrentur. Quod vero Vossius minori cuidam Plutarcho, cuius Tzetzes fecit mentionem (Cfr. Gier. p. XI), hoc opusculum tribuendum esse putavit, inepte eum existimasse apparet. Nam praeterquam quod satis mirum videtur Plutarchum quendam plane

ignotum e praeclarissimi illius Chaeroneensis libris neglegentissime quaedam exscripsisse iisque alia aliunde petita addidisse, Vossius, cum ita suspicaretur, non alio nisus est argumento, neque niti potuit, nisi ipsius nominis communione (Cfr. Gier. l. l. p. XI.).

Hos viros in ferendo iudicio omnes inde profectos esse videmus, quod libellum post Lycurgi vitam conscriptum esse putarent et quin partim inde haustus esset, ita non in dubium censerent vocandum, ut ea sententia vel ipsa verborum similitudine satis comprobata iis videretur. Sane quidem, si libellum post Plutarchi tempora scriptum esse ullo modo demonstrari posset, illorum virorum iudicio non possemus non accedere. Sed cum illi in tempus, quo confectum esset hoc opusculum, nullo modo inquisiverint, ne ea quidem, quae de libello ipso statuerunt, ita ab omni parte comprobata haberi licet, ut extra omnem dubitationem posita sint.

Non aliter ac Rualdum, Vossium, Gierigium, alios viros doctos, qui in explicandis Plutarchi scriptis versati sunt, de origine libelli existimasse videmus. Qui quanquam de aliis rebus aliter iudicabant, in eo tamen, qui quidem spurium esse libellum volunt, ad unum fere omnes consentiunt, quod e vita Lycurgi eum partim haustum esse putant.

Wyttenbachius, cum epilogum huius opusculi a Plutarcho alienum esse et subditicium suspicaretur (Cfr. Volkmann. l. l. I, p. 239), totum tamen libellum spurium iudicare ausus non est. „De hoc libello, inquit ille, item censeo, ut de antecedente (regum et imper. apophthegm.), ut eum nec germanum nec spurium pronuntiare firmiter audeam. Nam materia quidem est Plutarchea, collecta maximam partem e vita Lycurgi idque vel ab ipso Plutarcho, vel postea ab alio homine; neque enim rationem video, quominus vel alterutrum vel etiam utrumque fieri potuerit.“

Jure mireris, quomodo fieri potuerit, ut ille, qui multum in Plutarchi scriptis maximeque in iis, quibus Moralia inscribitur, esset versatus, ita de hoc libro iudicaret, ut eum nec germanum nec spurium esse pro certo affirmare auderet. Quod vero ille dixit materiam esse Plutarcheam, in partem tantum huius libri cadere, qui quidem paulo diligentius Plutarchi scriptis operam dederit, facile concedet, cum nonnullae res hoc libro narratae in Plutarchi scriptis nusquam reperiantur. Quid quod Wyttenbachius a Plutarcho ipso haec posse conscripta esse putavit, nonne plane inepte eum iudicasse vel primo obtutu patet? Nisi forte eiusdem viri putas esse et ipsum praeclarissima opera conficere et ex suis scriptis neglegentissime res nullo fere ordine compositas conscribere adiectis rebus aliunde petitis. Itaque plane reiciendam credimus hanc Wyttenbachii sententiam, quam si sequeremur, aliquid inepti Plutarcho imputaremus. Quod vero Wyttenbachius etiam alium quendam hunc librum e Plutarcheis aliisque excerpere potuisse putavit, quanquam magis potest verisimile videri, tamen, num probabilis esset ea sententia et supra dubitandum existimavimus et improbandam eam esse satis certis argumentis infra demonstrabimus. Sed priusquam huc transeamus, liceat mihi afferre, quid de hoc libro iudicaverit Benselerus, qui in eo libro, quem scripsit de hiatu, etiam Plutarchi scripta tractavit.

Atque audacius ille iudicavit quam Wyttenbachius. Nam cum regum et imperatorum apophthegmata, quae reicienda esse Xylander statuerat, genuina esse contendat, quanquam nonnulli hiatus ibi reperiantur (quos ita excusare conatus est, ut Plutarchum nonnulla iisdem, quibus ab aliis relata essent verbis narrasse, aut alios quaedam addidisse diceret), apophthegmata Laconica, instituta Laconica, Lacaenarum apophthegmata spuria esse ibidem docet, cum multis hiatibus foedata sint. Sed hanc Benseleri sententiam sibi constare negamus. Nam praeterquam quod non potest nobis non mirum videri regum et imperatorum apophthegmata illi visa esse genuina, cum cetera omnia, in quibus instituta Laconica, pro spuriis haberet, quanquam vix pluribus hiatibus foedata, quam illa, ea, quae Benselerus de hiatu a scriptoribus Graecis evitato dedit praecepta, ad hunc libellum vix possunt pertinere, quippe qui tantum absit, ut integrum sit opusculum et ab omni parte elaboratum, ut potius similis videatur reliquiis maioris cuiusdam operis aut collectae materiae, unde postea continuum opus conficeretur. Quanquam igitur non solum in vitis, verum etiam in iis scriptis, quibus Moralia inscribitur, hiatum a Plutarcho satis diligenter evitatum esse Schellen-

sius docuit in ea commentatione, quam scripsit de hiatu in Plutarchi Moralibus (Bonn. 1864), (Cfr. Benseler. l. c. I, p. 314), tamen non omnia scripta, in quibus hiatus offendunt, ob id ipsum spuria esse existimanda satis patet, minime vero, si qua scripta non ab omni parte elaborata ad nos pervenerunt. Sane quidem plurima, quae in Plutarchi scriptis inveniuntur hiatibus foedata, spuria esse etiam aliis argumentis satis comprobatum est. Sed de hoc libro cave praepropere statuas ex solis hiatibus, quos in libello sive nondum satis elaborato sive reliquias maioris operis exhibente excusari posse quivis facile concesserit. Quae cum ita sint, alia eaque graviora argumenta sunt afferenda, quibus subditicium esse hoc opusculum pro certo evincatur.

Volkmannus (l. l. I. p. 235), postquam regum et imperatorum apophthegmata Plutarcho esse abiudicanda sibi videtur comprobavisse, nihil iam opus putat de institutis Laconicis, utrum genuina sint necne disputare, quae non minus quam apophthegmata a Plutarcho plane aliena esse dicit. Ipse iis, quae Gierigius attulerat, argumentis satis comprobatum id esse existimat. Quod vero libellum e vita Lycurgi tanquam fonte haustum esse ille docuerat, huic sententiae Volkmannus ita occurrit, ut extremis libelli verbis non posse non colligi diceret res eo libello narratas et vitam Lycurgi ex eodem maiore quodam opere ad res Laconicas pertinente esse petitas. Legitur enim in Inst. Lac. § 42 sub fin. . . . ἕως οὗ παντάπασιν ὑπεριδόντες τὴν Λυκούργου νομοθεσίαν ὑπὸ τῶν ἰδίων πολιτῶν ἐτυραννεύθησαν μηδὲν ἔτι σώζοντες τῆς πατρίου ἀγωγῆς. καὶ παραπλήσιοι τοῖς ἄλλοις γενόμενοι τὴν πρόσθεν εὔκλειαν καὶ παρρησίαν ἀπέθεντο καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο. Haec verba sicut totum epilogum Wyttenbachio suspectum esse visum iure mireris, cum epilogum a reliquis libelli partibus ita differre, ut diversis auctoribus tribuenda sint, haud facile quis comprobaverit, immo dicendi genere ita inter se consentiant, ut ab uno auctore totus libellus videatur profectus, id quod etiam Volkmannus concedit (Cfr. l. l. I. pag. 239). Neque ob aliam causam hic locus Wyttenbachium offendit, quam quod librum Plutarcho tribuendum aut e Plutarcheis conscriptum esse putabat eaque, quae sunt in epilogo, Plutarchi temporibus scribi non potuisse ei videbantur. Sed quoniam satis dubium esse iam vidimus, num esset liber vere Plutarcheus neque ullo satis certo argumento epilogum ab altera manu additum esse cogimur statuere, facere non possumus, ut Wyttenbachio astipulemur. Atque eam ipsam partem libelli, quam ille nullo iure temptandam putavit maximi momenti esse videbimus, non solum, si, utrum sit Plutarcheus libellus necne, diiudicare, sed etiam, si tempus, quo confectum videatur opus, unde repetitae sint res hoc libello commemoratae explorare conabimur.

Volkmannus ea ipsa verba, quae offensioni fuisse Wyttenbachio monuimus, ad stabiliendum quod fecit iudicium attulit. Quibus verbis ait liquido apparere hunc libellum non a Plutarcho conscriptum esse, neque enim ullo modo Plutarchi temporibus condicionem Graecorum servitutem dici potuisse, quod fieri putat verbis καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο. Volkmannus negat verba καί εἰς δουλείαν μετέστησαν ad Plutarchi tempora ullo pacto referri posse, quibus temporibus condicionem Graecorum nequaquam servitutem dici potuisse, id quod non concedere non possumus, cum Graecas civitates suam libertatem etiam imperatoribus Romae regnantibus quodammodo integram et infractam conservasse disertis veterum scriptorum testimoniis compertum habeamus maximeque Lacedaemonios, qui deleta universae Graeciae libertate post pugnam Chaeroneensem, cum omnes ad Macedonum reges se applicare cogerentur, speciem quandam pristinae libertatis servaverant, moderate a Romanis habitos esse satis nobis cognitum sit.

Quae cum ita sint, quo tandem tempore Volkmannus vult Lacedaemonios in servitutem Romanorum delapsos esse? An post Corinthum a Mummio deletam? Num potuit ex illo tempore Graecorum Lacedaemoniorumque condicio magis dici servitus quam Plutarchi temporibus? Immo vero etiam post deletam Corinthum Graecas civitates in suis rebus administrandis libertate quadam usas esse veterum scriptorum testimoniis exploratum nobis est (Cfr. Caes. bell. civ. 3,5. Appian. Mithrid. 58).

Quod vero Tacitus (Ann. XIV, 21) „possessa Achaia" dicit, eo spectare patet, quod omnes Graeciae civitates, quanquam post deletam Corinthum libertate usae tamen ab illo tempore vectigalia quotannis Romanis solvere iubebantur, id quod testatur Pausanias (VII, 16,6): καὶ φόρος τε ἐτάχθη τῇ Ἑλλάδι κτλ. ac deinde: συνέδριά τε κατὰ ἔθνος τὸ ἕκαστον Ἀχαιῶν καὶ τὸ ἐν Φωκεῦσιν ἢ Βοιωτοῖς ἢ ἑτέρωθί που τῆς Ἑλλάδος κατελέλυτο ὁμοίως ἅπαντα. (Cfr. Hertzberg: hist. Graec. sub Rom. imp. I, p. 281 adn. 100), qui quae docti viri de hac re disputaverunt, fusius exposuit). His aliisque veterum testimoniis ex aliqua quidem parte libertatem Graecorum post excidium Corinthi cohibitam esse clare ostenditur. Re vera igitur Graecia, quanquam suis etiamtum uti legibus et libertate frui ei licebat, diruta Corintho in provinciam Romanam est redacta, etsi nomen provinciae, sicut aliis terris sub potestatem Romanorum redactis tunc ei nondum inditum esse inde satis videtur apparere, quod eorum scriptorum, qui res inde ab anno 146 a. Chr. sque ad Augusti tempora gestas commemorant, nemo disertis verbis Graeciam vel Achaiam in provinciam Romanam redactam esse dicit. (Cfr. Hertzberg., qui (l. l. I. p. 284 sqq. adn.) fusius controversias inter doctos viros de hac re ortas exposuit). Sed utrum re vera Graecia continuo post a. 146 a. Chr. provincia Romana facta sit necne hic nostra non multum refert, cum non id quaeratur, quo tempore Graecia in provinciam sit redacta, sed ex quo tempore Lacedaemonii ita a Romanis haberi coepti sint, ut eorum condicio δουλεία dicenda esset. Recte Mommsenus de nomine tantum disputare eos monuit, qui, num Graecia post Corinthi excidium provincia esset facta dubitarent (Cfr. hist. Rom. II,[7] p. 48 adn.), nam condicionem Graecorum ex illo tempore ab omni parte eandem fuisse, quam provincialium, ex iis, quae veteres scriptores de rebus Graecorum memoriae prodiderunt, satis apparet; solum nomen provinciae defuisse videtur (Cfr. Hertzb. l. l. I, 284.). Ad Plutarchi autem tempora vocem δουλείαν nullo modo pertinere Volkmanno plane est concedendum. Neque magis is rerum status, qui fuit inde ab anno 146 a. Chr., ea voce designatur; quanquam enim propter vectigalia quotannis Romanis solvenda Graecorum ratio non iam ab omni parte libera erat, tantum tamen aberat, ut rerum Graecarum condicio Mummii temporibus δουλεία dici potuerit, ut omnibus temporibus liberalissime Graecos a Romanis victoribus habitos esse omnium fere scriptorum testimoniis clare ostendatur.

Iam vero, cum ex his, quae diximus, satis videatur apparere Volkmannum perperam fecisse, qui eum statum, in quo Graeci Plutarchi temporibus versati sint, nullo modo δουλείαν dici potuisse contendat idemque propterea ad eam condicionem, in quam Graeci post deletam Corinthum inciderint, hanc vocem referendam esse censeat, quam condicionem non magis δουλείαν dici posse vidimus, in interpretando eo, de quo agitur loco Volkmannum plane erravisse contendo; nam ipso contextu eorum, quae sunt in epilogo, vocem δουλείαν eo, quo vult Volkmannus, referre omnino vetamur.

Lacedaemonios ait scriptor § 42, postquam debellatum apud Chaeroneam fuerit, Macedonum regibus imperium universae Graeciae obtinentibus, quanquam paucae earum, quas Lycurgus tulisset legum valerent, tamen pristinam libertatem servasse ac defendisse, dum praeclarissimis illis legibus magis magisque lapsis ac postremo omnino neglectis ex ipsorum civium numero exsisterent, qui tyrannice imperarent; et iam aliis ait similes factos Lacedaemonios pristinam gloriam libertatemque (εὔκλειαν καὶ παρρησίαν) proiecisse atque in servitutem esse delapsos et modo (νῦν), sicut alias Graeciae gentes Romanae factos esse dicionis: ἕως οὗ παντάπασιν ὑπεριδόντες τὴν Λυκούργου νομοθεσίαν ὑπὸ τῶν ἰδίων πολιτῶν ἐτυραννεύθησαν μηδὲν ἔτι σώζοντες τῆς πατρίου ἀγωγῆς. καὶ παραπλήσιοι τοῖς ἄλλοις γενόμενοι τὴν πρόσθεν εὔκλειαν καὶ παρρησίαν ἀπέθεντο καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο.

Ac primum quidem verbis καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν ipsius Plutarchi tempora intellegere vetamur iis, quae sequuntur καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο. De diversis temporibus hic agi, cum dicitur εἰς δουλείαν μετέστησαν et καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις ἐγένοντο iure mireris Volkmannum non vidisse. Qui cum dicit rationem, qua Plutarchi aetate Graeci a Romanis habiti sint neque visam esse umquam Graecis ipsis δουλείαν neque videri potuisse (Cfr. l. l. I, p. 239), verba καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν

et καὶ ὑπὸ Ῥωμαίοις ἐγένοντο sine dubio eodem spectare vult. Sed maximi momenti hoc loco est particula νῦν, quae, quominus ad idem tempus verba referas, obstat. Jam vero si quaerimus, quae fuerit illa δουλεία, in quam Lacedaemonios delapsos esse scriptor narrat, cum neque eam condicionem, in quam venerunt post a. 146 a. Chr. neque eam, in qua versati sunt Plutarchi temporibus significari ex iis, quae supra dixi, satis videatur apparere neque denique unquam Graecos a Romanis ita esse habitos compertum nobis sit, ut illorum condicio ullo iure δουλεία dici potuerit, dubium esse non potest, quin ea servitus intellegenda sit, quam domi tulisse Lacedaemonios satis notum est, tyrannis crudelissimis Spartae imperantibus. Lacedaemonios autem a tyrannis, qui ex ipsorum civium numero extitissent crudelissime aliquamdiu habitos esse paucis scriptor antea monuerat, cum diceret ὑπὸ τῶν ἰδίων πολιτῶν ἐτυραννεύθησαν, quae verba ad Machanidae maximeque ad Nabidis tyrannidem, qui homines perditissimi ab anno 211 usque ad a. 192 a. Chr. vehementissime cives vexarunt, spectare cum per se ipsum est verisimillimum, tum propterea de ea re vix dubium esse potest, quod scriptorem in epilogo in enarrandis rebus Lacedaemoniorum certo quodam rerum ordine usum videmus, quem rerum ordinem, si ab omni parte servatum esse volumus, non possumus facere, quin verbis καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν tyrannorum tempora significari statuamus. Ad eadem illa tempora etiam ea spectant, quae praecedunt: ὑπὸ τῶν ἰδίων πολιτῶν ἐτυραννεύθησαν; neque enim alio tempore Lacedaemonii ab ipsorum civibus tyrannice habiti sunt, neque nisi illis temporibus unquam in ea condicione sunt versati, quae eodem iure δουλεία dici potuerit. Quae sequuntur: καὶ παραπλήσιοι τοῖς ἄλλοις γενόμενοι τὴν πρόσθεν εὔκλειαν καὶ παρρησίαν ἀπέθεντο ad ea spectant, quae supra (§ 42 init.) scriptor monuerat: ἐπρώτευε τῆς Ἑλλάδος κτλ. ac deinde: ἀλλ' ὅμως οὕτως ἔχοντες (scil. quanquam Lycurgi legum auctoritate magis magisque imminuta avaritia luxuriaque irrumpentibus principatu amisso ipsa potestas Lacedaemoniorum magis magisque infringi coepta sociorumque animi ab iis abalienati erant) μετὰ τὴν Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος ἐν Χαιρωνείᾳ νίκην πάντων αὐτὸν τῶν Ἑλλήνων ἡγεμόνα κατά τε γῆν καὶ θάλασσαν ἀναγορευσάντων καὶ μεταξὺ δ' Ἀλέξανδρον τὸν υἱὸν μετὰ τὴν Θηβαίων καταστροφὴν μόνοι Λακεδαιμόνιοι (καίπερ ἀτείχιστον πόλιν ἔχοντες καὶ ὀλίγοι πάνυ ὄντες διὰ τοὺς συνεχεῖς πολέμους καὶ πολὺ ἀσθενέστεροι καὶ εὐχείρωτοι γενόμενοι) πάνυ βραχέα τινὰ ζώπυρα διασώζοντες τῆς Λυκούργου νομοθεσίας οὔτε συνεστράτευσαν οὔτε τούτοις οὔτε τοῖς μεταξὺ Μακεδονικοῖς βασιλεῦσιν, οὔτ' εἰς συνέδριον κοινὸν εἰσῆλθον οὐδὲ φόρον ἤνεγκαν. Lacedaemonios ait solos ex omnibus Graecis libertate Graeciae pugna Chaeroneensi amissa neque ad Philippum se applicasse, quanquam Graecae civitates ad unam omnes illum communem omnium ducem renuntiassent, neque postquam Thebis dirutis Graeci iterum dicionis Macedonum facti essent, cum Alexandro se coniunxisse neque iis, qui postea fuissent, regibus Macedonum paruisse neque ad commune concilium venisse neque tributum solvisse. Minime igitur illi, quamdiu aliorum imperio audientes esse recusabant, aliis Graeciae gentibus similes erant, cum libertatis gloriam etiam universa Graecia sub potestatem Macedonum redacta, quoad fieri poterat, integram servare studerent. Quae quanquam per speciem magis quam re vera integra manebat, tamen hac quidem re Lacedaemonii ceteris Graeciae gentibus superiores erant, inter quas excellerent studio retinendae libertatis. Sed postquam magis magisque mores eorum in peius mutari sunt coepti ac tyranni Spartae extiterunt crudeliter civibus imperantes, non idem de illis dici potuit, et qui legerit, quae Polybius de famosa Nabidis tyrannide memoriae prodidit, condicionem Lacedaemoniorum, qualis fuit illis temporibus, iure servitutem eamque acerbissimam durissimamque dici potuisse negare non poterit. Cfr. Polyb. XIII, 6 . . . θεμέλιον ait ille ὑπεβάλλετο (sc. Νάβις) πολυχρονίου καὶ βαρείας τυραννίδος. διέφθειρε γὰρ τοὺς λοιποὺς ἄρδην ἐκ τῆς Σπάρτης, ἐφυγάδευσε δὲ τοὺς κατὰ πλέον πλούτῳ διαφέροντας ἢ δόξῃ προγονικῇ, τὰς δὲ τούτων οὐσίας καὶ γυναῖκας διεδίδου τῶν ἄλλων τοῖς ἐπιφανεστάτοις καὶ τοῖς μισθοφόροις. οὗτοι δ' ἦσαν ἀνδροφόνοι καὶ παρασχίσται λωποδύται τοιχωρύχοι. καθόλου γὰρ τοῦτο τὸ γένος ἠθροίζετο πρὸς αὐτὸν ἐπιμελῶς ἐκ τῆς οἰκουμένης, οἷς ἄβατος ἦν ἡ θρέψασα δι' ἀσέβειαν καὶ παρανομίαν κτλ. Hic alibique Polybius vividissimis coloribus miserandum rei publicae statum, qualis fuit illis tyrannorum temporibus, depinxit. Num is videtur nimium facere, qui illam condicionem δουλείαν fuisse dicit? An illam fuisse veram servitutem, graviorem quam quae etiam a victis toleratur,

quisquam negabit? Ipse Polybius etiam eum rerum statum, qualis ante Nabidis tyrannidem fuerat (Cfr. Polyb. IV, 81, ubi pristinam rationem a Cleomene in tyrannidem commutatam esse narrat), acerbissimam dixit servitutem. Juvat totum locum (IV, 81, 12 14) afferre, praesertim cum non multum distet ab epilogo huius libelli. Λακεδαιμόνιοι μὲν οὖν ἀπὸ τῆς Λυκούργου νομοθεσίας καλλίστῃ χρησάμενοι πολιτείᾳ καὶ μεγίστην ἔχοντες δύναμιν ἕως τῆς ἐν Λεύκτροις μάχης ἀπ' αὐτῆς ἐπὶ τἀναντία τραπείσης αὐτοῖς τῆς τύχης καὶ τοὔμπαλιν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀεὶ καὶ μᾶλλον τῆς πολιτείας αὐτῶν προβαινούσης τέλος πλείστων μὲν πόνων καὶ στάσεων ἐμφυλίων πεῖραν εἶχον, πλείστοις δ' ἐπάλαισαν ἀναδασμοῖς καὶ φυγαῖς, πικροτάτης δὲ δουλείας πεῖραν ἔλαβον ἕως τῆς Νάβιδος τυραννίδος οἱ τὸ πρὶν οὐδὲ τοὔνομα δυνηθέντες ἀνασχέσθαι ῥᾳδίως αὐτῆς. Quodsi iam illis temporibus civium condicio πικροτάτη δουλεία dici potuit, nonne id multo magis cadere videtur in Machanidae Nabidisque tempora, a quibus tyrannis in duriorem servitutem cives esse coactos patet? Et cum non alio tempore Lacedaemonios esse in servitutem delapsos eodem iure dici possit, verba ὑπὸ τῶν ἰδίων πολιτῶν ἐτυραννεύθησαν — εἰς δουλείαν μετέστησαν, quin ad ea tempora spectent, quibus a Cleomene ac postea maxime a Machanida et Nabi cives vexatos esse constat dubium esse non potest. Quibus temporibus re vera non solum pristinam Lacedaemoniorum gloriam a veteribus tantopere celebratam, verum etiam dicendi agendique libertatem omnino amissam esse ex iis, quae Polybius de illis temporibus memoriae prodidit, liquido patet. Cfr. inst. Lac. τὴν πρόσθεν εὔκλειαν καὶ παρρησίαν ἀπέθεντο. Quae cum ita sint, Volkmannum non recte interpretatum esse extrema verba epilogi apparet, qui librum ob eam rem Plutarcho non esse tribuendum opinatur, quod condicio Graecarum civitatum Plutarchi temporibus iure δουλεία dici non possit. Sed quanquam allatum argumentum omnino non cadit in hunc libelli locum, cum non agatur de Graecis a Romanis in servitute habitis, tamen, quod effecisse ille sibi videtur de tempore, quo scriptus sit libellus, iam recte se habere videbimus.

Ex iis enim, quae disputavit, collegit Volkmannus eum scriptorem, ad quem redeat libellus de institutis Laconicis, haud ita multo post expugnatam Corinthum opus suum conscripsisse. Quod quanquam recte ille docuit, tamen non verbis καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν id demonstratur, quippe quae non eo spectent, quo voluit Volkmannus, sed ipsis postremis verbis epilogi aliquid lucis affertur tempori, quo confectus esse liber videatur; quod cur fugerit Volkmannum aliosque, qui in hoc opusculo sunt versati, iure mireris. Καὶ νῦν inquit scriptor, ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο. Haec verba, quin nullo alio tempore nisi haud ita multo post deletam Corinthum scribi potuerint, vix potest dubitari. Nam ab illo tempore universae Graeciae civitates (καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες) eadem fere ratione omnes a Romanis haberi coeptae sunt et quanquam singulis civitatibus sua cuique ratio suaque libertas etiam post deletam Corinthum quodammodo integra manebat, tamen universus rerum status ita tunc est commutatus, ut, quisquis quomodo ab illo tempore Graeci a Romanis habiti sint, accuratius consideraverit, tum ipsum universam Graeciam re vera in provinciam Romanam esse redactam necesse sit concedat. Sane quidem Augusto demum imperante Graeciam provinciam Romanorum factam esse vulgo dicunt, sed quomodo ea ratio, qua Graeci habebantur ab Augusti temporibus, ab ea condicione, in quam venerunt continuo post excidium Corinthi, differat, nequeo intellegere; nisi forte eam vis aliquam differentiam esse, quod Augustus demum universam Graeciam in unam redegit provinciam omnibusque Graeciae civitatibus commune nomen Achaiae provinciae indidit, cum antea Graecas civitates libertate per speciem non imminuta re vera Macedoniae provinciae adiunctas fuisse ex veterum scriptorum testimoniis, quanquam diserte id nusquam commemoratum videmus, satis certe colligi licet. (Cfr. Hertzberg. l. l. I, p. 284 sqq. Marquardt. Administr. rei publ. Rom. I², p. 321 sq.). Ipse Mommsenus ait rectius iudicare eos, qui Graeciam continuo post Corinthi excidium Macedoniae attributam eiusque provinciae quasi partem quandam fuisse disputent (Cfr. Mommsen. hist. Rom. II⁴, p. 48. adn.), cui non possumus non astipulari, si quidem, ut ait Polybius (XXXVIII, 1 c. 7) Graeci εἰς τὰς πόλεις τότε παρεδέξαντο ῥάβδους καὶ πελέκεις. In numero autem foederatarum civitatum Lacedaemonios inde ab anno 146 a. Chr. habitos esse Strabo docet. (Cfr. p. 365 ed. Duebner.) ἀναλαβόντες δέ σφας ἐτιμήθησαν διαφερόντως καὶ ἔμειναν ἐλεύθεροι πλὴν τῶν φιλικῶν λειτουργιῶν

ἄλλο συντελοῦντες οὐδέν. Nonne igitur continuo post a. 146. a. Chr. de Lacedaemoniis, sicut de ceteris Graeciae gentibus dici potuit: ὑπὸ Ῥωμαίοις ἐγένοντο, praesertim cum re vera Graeci bello devicti certa quaedam praestare ex foedere cogerentur et Romani summum imperium et quodammodo principatum totius Graeciae manibus tenerent? Accedit ut hoc loco non magis fere referat, utrum iam anno 146. Graecia in provinciam sit redacta, necne quam supra, ubi, ad quod tempus verba καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν spectarent, quaerebatur. De iis gentibus autem, quae bello a Romanis victae in eam condicionem erant redactae, ut ad victores quasi tutela quaedam earum civitatum rediret, id quod maxime cadit in civitates Graecas, optimo iure dici potuisse ὑπὸ Ῥωμαίοις ἐγένοντο cum permultis veterum scriptorum testimoniis satis apparet (Cfr. Hertzberg, qui l. l. I, 287 adn. locos ad hanc rem spectantes composuit), tum Strabo (lib. VIII, c. 6,23), cum Corinthum a Mummio excisam esse commemorat iisdem verbis utitur, quae in epilogo huius libelli scripta videmus: αὐτὴ δὲ (scil. Corinthus) ὑπὸ Λευκίου Μομμίου καὶ τἆλλα μέχρι Μακεδονίας ὑπὸ Ῥωμαίοις ἐγένοντο. Ceterum iam antea Nabi tyranno devicto Philopoemenis temporibus Lacedaemonios quodammodo ὑπὸ Ῥωμαίοις fuisse ex iis patet, quae apud Polybium de illis temporibus memoriae prodita videmus. Hic enim auctor est Lacedaemonios, cum Philopoemen in eos saeviret, legatos Romam misisse, qui de eo conquererentur et non solum ea, quae a Philopoemene essent instituta, inique a civibus ferri denuntiarent, verum etiam Romanorum potestatem et auctoritatem Spartae labefactari (Cfr. Polyb. XXIII, 1.): ὅτι μετὰ τὴν ἐν τῷ Κομπασίῳ τῶν ἀνθρώπων ἐπαναίρεσιν δυσαρεστήσαντές τινες τῶν ἐν τῇ Λακεδαίμονι τοῖς γεγονόσι καὶ νομίσαντες ὑπὸ τοῦ Φιλοποίμενος ἅμα τὴν δύναμιν καὶ τὴν „προστασίαν“ κατατελύσθαι τὴν Ῥωμαίων ἐλθόντες εἰς Ῥώμην κατηγορίαν ἐποιήσαντο κτλ. Quodsi iam Ol. 182,2, quo anno id factum esse constat, Lacedaemonii principatum in manibus Romanorum esse concesserunt, multo magis dici potuit Graecos Romanorum dicionis factos esse post a. 146. a. Chr., ex quo anno omnes Graeciae civitates eadem ratione a Romanis haberi coeptas esse supra diximus. Sed cave verbis ὑπὸ Ῥωμαίοις ἐγένοντο Philopoemenis tempora designari putes, quod quominus facias, addita verba καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες obstant, cum anno 146. demum universae Graeciae res compositas esse compertum habeamus.

Maximi vero momenti videtur esse, quod scriptor in epilogo, quo eas rerum commutationes, quae Lacedaemoniis maximae gravissimaeque acciderint, paucis comprehendit, certum rerum ordinem historiae fide comprobatum in enarrandis illis, quae factae sunt commutationibus secutus est. Primum enim ait Lacedaemonios, quamdiu Lycurgi leges intactas servassent et integras, optima ratione et gloria ceteras Graeciae civitates praecessisse et quodammodo principatum Graeciae tenuisse per quingentos annos (§ 42: τοῖς μὲν οὖν Λυκούργου χρωμένη νόμοις ἡ πόλις καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμείνασα ἐπρώτευε τῆς Ἑλλάδος εὐνομίᾳ καὶ δόξῃ χρόνον ἐτῶν πεντακοσίων), tum vero, cum paulatim labi praeclarissimae illae leges coepissent luxuria et avaritia magis magisque irrumpentibus etiam potestatem Lacedaemoniorum sensim infringi coeptam esse (κατ' ὀλίγον δὲ παραβαινομένων καὶ φιλοπλουτίας καὶ πλεονεξίας παρεισδυομένης καὶ τὰ τῆς δυνάμεως ἠλαττοῦτο. καὶ οἱ σύμμαχοι διὰ ταῦτα δυσμενῶς εἶχον πρὸς αὐτούς. Avaritiam luxuriamque autem in rempublicam Lacedaemoniorum irrepsisse bello Peloponnesiaco prostrata potestate Atheniensium satis constat. Tum scriptor Philippi regis Macedonum mentione facta ac deinde Alexandri, post pugnam Chaeroneensem, qua pugna libertas Graeciae periit, Thebis dirutis, cum ceteri Graeci victorem sequi cogerentur, ita Lacedaemonios non fractos fuisse dicit, ut et cum his et cum posteris regibus Macedonum sese coniungere recusarent. Quare cum scriptorem gravissima quaeque e rebus Lacedaemoniorum certo temporum ordine videamus prodentem, vix dubitari potest, quin etiam in enarrandis iis, quae sequuntur, eundem rerum ordinem secutus sit. Dicit autem postea leges Lycurgeas plane esse neglectas, cives a civibus tyrannice tractatos, in servitutem delapsos, modo Romanae dicionis factos. Maximae vero et gravissimae, quae post ea, quae narrata sunt, Spartae acciderunt rerum commutationes sunt tyrannis et servitus, quas a Cleomenis temporibus usque ad Nabim pertulerunt ac deinde imperium Romanorum, quale fuit inde ab anno 146. a. Chr. Qui autem postremis epilogi verbis Augusti tempora significari putant, ita ut Lacedaemoniorum rempublicam sicut reliquas Graeciae civitates a Romanis in unam provinciam redactas esse iis verbis

indicetur, ii gravissimam illam rerum Graecarum commutationem, quae facta est deleta Corintho, a scriptore plane omissam esse non satis videntur considerasse, quam gravem commutationem, num scriptor silentio praeterire potuerit rerum ordine ceteroqui servato satis dubium est.

Jam quid opus est plura? Jis, quae disputavi, satis videtur comprobatum postrema verba epilogi καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο nisi haud ita multo post a. 146. a. Chr. scribi non potuisse. An Plutarchi etiam temporibus quemquam scripturum fuisse putas „et modo dicionis Romanae facti sunt," si quidem, id, quod procul dubio esse satis cognovimus, haec verba eo, quo statuimus, spectant? Ineptum quidem id esset, si quis de eo, quod plus centum annis ante factum est, dicere vellet: καὶ νῦν ἐγένετο.

Idem fere statuerunt Volkmannus (Cfr. l. l. I, p. 239) et G. Fluegelius (Cfr. De font. Plut. Lyc. diss. Marburg. p. 16 sqq.). Ille re tanquam obiter tacta locum supra tractatum, ubi de servitute Lacedaemoniorum agebatur (Cfr. p. 10 sq.), perperam interpretatus de tempore, quo extrema verba epilogi scripta essent recte iudicavit; quod vero totum libellum ex eodem maiore quodam opere res Laconicas fusius tractante exscriptum esse vel inde concludit eodemque opere tanquam fonte etiam Plutarchum in conscribenda vita Lycurgi usum esse existimavit, gravioribus argumentis id confirmandum erat. Nam etiam ita potest libellus ortus esse, ut nescio quis res eo commemoratas e Plutarchi aliorumque libris conscriberet et neglegenter in excerpendo versatus ea, quae habet epilogus καὶ νῦν κτλ. adiungeret quanquam id, quod his verbis narratur, plus centum annis ante factum esse sciret. Neque minus praepropere existimavit G. Fluegelius (l. c. p. 16 sq.), qui eam quidem interpretationem, quam protulit Volkmannus verborum καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν redarguit, sed ipse in eo erravit, quod his verbis eum rerum statum significari existimat, in quo fuerint Lacedaemonii, postquam Achaeorum foederi quod vocatur se adiungere coacti sint (Cfr. l. c. p. 16). Sed illam condicionem minus esse intellegendam quam eam servitutem, quam Lacedaemonii domi tulerunt a tyrannis crudelissime vexati ex iis, quae supra dixi, satis patet. Accedit, quod eam Lacedaemoniorum condicionem, quam Fluegelius allatis verbis indicari vult, nusquam δουλείαν dici videmus, cum Polybius domesticarum rerum condicionem voce servitutis satis diserte insigniverit (Cfr. supra p. 11). Et verba τὴν πρόσθεν εὔκλειαν καὶ παρρησίαν ἀπέθεντο ad crudelissimam tyrannorum dominationem aptius referuntur quam ad foedus Achaicum; nam tyrannis imperantibus dicendi agendique libertas apud Lacedaemonios omnino periit.

Deinde Fluegelius cum Volkmanno verbis καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις ἐγένοντο hoc opusculum maioris cuiusdam operis paulo post dirutam Corinthum conscripti fragmenta continere collegit. Sed demonstrandum ei erat ea, quae habet libellus de institutis Laconicis, ex uno opere tanquam fonte hausta esse. Nam etiamsi ea verba, quibus modo Lacedaemonios a Romanis in deditionem acceptos esse scriptor narrat nisi paulo post a. 146. a. Chr. scribi non potuerunt, tamen potest esse, ut etiam multis annis post nescio quis haec e vita Lycurgi aliisque libris conscripserit. Sin autem ex uno tantum opere instituta Laconica petita esse probabile effecerimus, non solum huic libello aliquid lucis afferetur, sed etiam vitae Lycurgi, in qua conscribenda quin Plutarchus eundem auctorem secutus sit, ad quem redeant res hoc libello narratae non iam dubium erit.

Supra monuimus nonnulla hunc libellum habere, quorum in Lycurgo nulla mentio facta est. Quodsi e Plutarcho opusculum excerptum esset, ea ipsa, quae apud illum leguntur in vita Lycurgi, hic inveniremus eodem rerum ordine, quo illic, narrata. Certe ea, quae aliunde repetita videntur, non cum Plutarcheis permixta essent, nisi forte certum quoddam consilium scriptorem secutum esse putamus, cum res in eum, quem habemus, ordinem redigeret. Tale vero consilium per totum libellum plane cognosci nequit. Praeterea ne speciem quidem habet verisimilitudinis existimare scriptorem duobus vel pluribus libris simul usum modo ex hoc, modo ex illo promiscue res nullo modo inter se cohaerentes repetivisse. Neque est omittendum, quod locis apud utrumque alioqui verbis omnino congruentibus nonnunquam et verborum et rerum parvas discrepantias videmus; quae discrepantiae quomodo irrepserint facilius explicari

potest, si et vitam Lycurgi et instituta Laconica e maiore opere ad res Laconicas pertinente tanquam fonte fluxisse putamus; neque enim est fere eius, qui librum quasi in epitomen cogit, ea, quae repperit, aliter narrare. Ut unum huius rei exemplum afferam, ea, quae inst. Lac. § 2 de Dionysio, Siculorum tyranno, prodita sunt, ea apud Plutarchum ad nescio quem e Ponticis regibus, cui item Dionysius nomen fuisse dicitur, vides relata (Cfr. Lyc. c. 12). Qui libellum de institutis Laconicis e Plutarcho conscriptum esse vult, is facere non poterit, quin aut ipsum scriptorem nomen apud Plutarchum repertum commutasse existimet, aut postea alium quendam, qui quae tradita repperisset quaeque ei viderentur minus comprobata, emendare vellet. Utrumque autem parum verisimile videtur, praesertim cum alia sint argumenta, quibus libellum non e Plutarcho conscriptum esse, sed et vitam Lycurgi et res hoc opusculo commemoratas e maiore opere res Laconicas tractante fluxisse efficiatur. Nam quod Plutarchus (Lyc. c. 12) dicit Dionysium, cum praeclarum illud ius Laconicum sibi apponi iussisset εἶτα γευσάμενον δυσχερᾶναι, inst. Lac. vero habent ἔπειτα γευσάμενον καὶ δυσχεράναντα ἀποπτύσαι haud facile aliter factum esse credi potest, nisi ut loci ex eodem libro ceteroqui verbotenus transscriberentur, Plutarchus autem verbum ἀποπτύσαι ibidem repertum omitteret. Alii loci, quibus alterum ab altero paulum discrepare videmus, huc pertinent. Sed licet haec leviora videantur, tamen ex aliqua quidem parte ea, quae statuimus, his adiuvantur ac magis stabiliuntur. Gravissimum autem argumentum et quo instituta Laconica e Plutarcho exscripta esse existimare omnino vetemur, est, quod nonnullis locis huius libelli, quos in vita Lycurgi iisdem verbis scriptos videmus, media interposita sunt quaedam, quae apud Plutarchum plane desunt. Huc pertinent ea, quae inst. Lac. § 4 habent de puerorum eruditione: γράμματα ἕνεκα τῆς χρείας ἐμάνθανον· τῶν δ'ἄλλων παιδευμάτων ξενηλασίαν ἐποιοῦντο, οὐ μᾶλλον ἀνθρώπων ἢ λόγων. ἡ δὲ παιδεία ἦν αὐτοῖς πρὸς τὸ ἄρχεσθαι καλῶς καὶ καρτερεῖν πονοῦντα καὶ μαχόμενον νικᾶν ἢ ἀποθνήσκειν. Eadem apud Plutarchum (vit. Lyc. c. 16) exponuntur his: γράμματα μὲν οὖν ἕνεκα τῆς χρείας ἐμάνθανον. ἡ δ'ἄλλη πᾶσα παιδεία πρὸς τὸ ἄρχεσθαι καλῶς ἐγένετο καὶ καρτερεῖν πονοῦντα καὶ νικᾶν μαχόμενον. Vides verba, quae inst. Lacon. leguntur γράμματα — ἐμάνθανον et ἡ δὲ παιδεία — ἀποθνήσκειν eadem fere apud Plutarchum reperiri. Sed Plutarcheis, quae instituta Laconica habent, media interposita sunt verba τῶν δ'ἄλλων παιδευμάτων ξενηλασίαν ἐποιοῦντο οὐ μᾶλλον ἀνθρώπων, ἢ λόγων, quae Lyc. c. 16 plane desunt. Haec autem et iisdem fere verbis et fusius exponuntur Lyc. c.9: μετὰ δὲ τοῦτο τῶν ἀχρήστων καὶ περισσῶν ἐποιεῖτο τεχνῶν ξενηλασίαν et paulo post: οὐδὲ ἐπέβαινε τῆς Λακωνικῆς οὐ σοφιστὴς λόγων, οὐ μάντις ἀγυρτικὸς κτλ., ad quae spectare patet ea, quae inst. Lac. leguntur οὐ μᾶλλον ἀνθρώπων. Neque dubium est, quin scriptor, ad quem redeat libellus, haec eodem ordine, quo in instit. Lac. scripta videmus apud eum, quem secutus est auctorem invenerit; nam vix aliter explicari potest, quod in libello neglegentissime conscripto, cum alias totus verborum circuitus idem apud utrumque reperiatur, interposita sunt quaedam, quae in vita Lycurgi alio loco exponuntur. Accedit quod exceptis verbis τῶν δὲ ἄλλων — ἢ λόγων ea, quae instit. Lac. §§ 4, 5, 6 leguntur, verbotenus habet Plutarchus vit. Lyc. c. 16 extr. Neque nullius momenti est, quod quae apud utrumque de amore puerorum ac deinde de eruditione dicuntur (Cfr. instit. Lac. § 7: ἐρᾶν τῶν τὴν ψυχὴν σπουδαίων παίδων ἐφίετο. Lyc. c. 17: ἤδη δὲ τοῖς τηλικούτοις ἐρασταὶ τῶν εὐδοκίμων νέων συνανεστρέφοντο.) ad ea ipsa, quae utrobique iisdem verbis scripta videmus (inst Lac. §§ 4, 5, 6. Lyc. c. 16), adiuncta sunt.

Eodem pertinent ea, quae inst. Lac. de furandi licentia Spartanorum pueris concessa dicuntur (§ 12, 13): κλέπτουσι δὲ οἱ νέοι καὶ τῶν σιτίων, ὅτι ἂν δύνωνται, μανθάνοντες εὐφυῶς ἐπιτίθεσθαι τοῖς καθεύδουσιν ἢ ῥαθύμως φυλάσσουσι· τῷ δὲ ἁλόντι ζημία πληγαὶ καὶ τὸ πεινῆν. γλίσχρον γὰρ αὐτοῖς ἐστι δεῖπνον, ὅπως δι' αὑτῶν ἀμυνόμενοι τὴν ἔνδειαν ἀναγκάζωνται τολμᾶν καὶ πανουργεῖν. Hactenus eadem apud utrumque verba leguntur (Cfr. Lyc. c. 17). Furari, ait uterque, pueris Lacedaemoniorum licere et parcum victum iis dari, ut ipsi inopiam a sese defendentes audaces et astuti fierent. Quae vero deinde scriptor huius libelli profert etiam ob eam rem nonnisi parcum victum pueris concedi solitum esse, ut apti fierent ad famem tolerandam, cum hoc modo etiam ad perferendos belli labores magis idoneos futuros esse putarent, ea apud Plutarchum omissa videmus. Τὸ δὲ inquit scriptor ἔργον τῆς σιτοδείας. (sic interpungendum

putavi.) διά τε ταῦτα γλίσχρον ἦν, ἵν' ἐθίζωνται μηδέποτε γίνεσθαι πλήρεις, δύνασθαι δὲ πεινῆν. οὕτω γὰρ ᾤοντο καὶ ἐν πολέμῳ χρησιμωτέρους ἔσεσθαι, εἰ δύναιντο καὶ ἀσιτήσαντες ἐπιπονῆσαι. καὶ ἐγκρατεστέρους δὲ καὶ εὐτελεστέρους, εἰ πλείω χρόνον διάγοιεν ἀπὸ μικρᾶς δαπάνης. Quae deinde sequuntur, verbis tantum inter se differunt, res plane eaedem sunt; apud Plutarchum enim c. 17 ita oratio procedit: πάρεργον δέ φασι τὴν τῶν σωμάτων αὔξησιν. Φέρεται γὰρ εἰς μῆκος, ὅταν τὸ πνεῦμα μὴ πολλὴν σχῇ διατριβὴν καὶ ἀσχολίαν ὑπὸ πλήθους τροφῆς εἰς βάθος καὶ πλάτος πιεζόμενον, ἀλλ' ἄνω βαδίζῃ διὰ κουφότητα τοῦ σώματος ἐκλύτως καὶ ῥᾳδίως ἐπιδιδόντος. Τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ καλοὺς δοκεῖ ποιεῖν· αἱ γὰρ ἰσχναὶ καὶ διάκενοι μᾶλλον ἕξεις ὑπακούουσι πρὸς τὴν διάρθρωσιν, αἱ δὲ ὀγκώδεις καὶ πολύτροφοι διὰ βάρος ἀντιβαίνουσιν κτλ. Inst. Lac. autem haec habent (§ 13): τὴν δ' ἀνοφίαν ἀποφέρειν, ᾧ βρῶμα τὸ τυχὸν προσφέρεσθαι ᾤοντο ὑγιεινότερα τὰ σώματα ἀπὸ τῆς ἐλλειπούσης ποιεῖν τροφῆς, καὶ αὔξειν εἰς βάθος καὶ πλάτος, μὴ πιεζόμενον ἐπαίρειν εἰς ὕψος τά σώματα· καὶ καλὰ δὲ ποιεῖν. τὰς γὰρ κενὰς καὶ διακένους ἕξεις ὑπακούειν πρὸς τὴν διάρθρωσιν, τὰς δὲ πολυτρόφους διὰ βάρος ἀντιβαίνειν. Ceterum hunc locum misere corruptum esse vel primo obtutu vides, et satis mirum est eundem locum etiam apud Xenophontem (rep. Lac. II 5–6), ad quem haec sine dubio vocanda sunt, corruptela foedatum ad nos pervenisse. Sed qui locos allatos paulo accuratius inter se comparaverit dubitare nullo modo poterit, quin inst. Laconica non e Plutarcho transscripta sint, sed vitam Lycurgi et inst. Laconica ex eodem opere res Laconicas tractante concedet manasse. Neque enim aliter facile explicari potest, quod locis ceteroqui verbis congruentibus in libello nonnisi fragmenta continente scripta sunt nonnulla, quae in opere diligenter elaborato desunt, et si libellum e Plutarcho conscriptum esse volumus, mirum videatur necesse est, quod prior pars eius loci utrobique iisdem verbis scripta est, cum in altera parte verborum videamus differentiam.

Item Plutarcheis alia videmus interposita inst. Lac. § 16: καὶ οἱ ἐμβατήριοι δὲ ῥυθμοὶ παρορμητικοὶ πρὸς ἀνδρείαν καὶ θαρραλεότητα καὶ ὑπερφρόνησιν θανάτου, οἷς ἐχρῶντο ἔν τε χοροῖς καὶ πρὸς αὐλὸν ἐπάγοντες τοῖς πολεμίοις. „ὁ γὰρ Λυκοῦργος παρέζευξε τῇ κατὰ πόλεμον ἀσκήσει τὴν φιλομουσίαν, ὅπως τὸ ἄγαν πολεμικὸν τῷ ἐμμελεῖ κερασθὲν συμφωνίαν καὶ ἁρμονίαν ἔχῃ.“ διὸ καὶ ἐν ταῖς μάχαις προεθύετο ταῖς μούσαις ὁ βασιλεὺς κτλ. Cfr. Lyc. c. 21: ὅλως δ' ἄν τις ἐπιστήσας τοῖς Λακωνικοῖς ποιήμασιν, ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἔνια διεσώζετο, καὶ τοὺς ἐμβατηρίους ῥυθμοὺς ἀναλαβών, οἷς ἐχρῶντο πρὸς τὸν αὐλὸν ἐπάγοντες τοῖς πολεμίοις οὐ κακῶς ἡγήσαιτο καὶ τὸν Τέρπανδρον καὶ τὸν Πίνδαρον τὴν ἀνδρείαν τῇ μουσικῇ συνάπτειν. Ὁ μὲν γὰρ κτλ. ac paulo post: καὶ γὰρ ἐν ταῖς μάχαις προεθύετο ταῖς μούσαις ὁ βασιλεὺς κτλ. Haec discrepantia vix orta esse potest, nisi ita, ut is, qui instituta Laconica conscriberet ea, quae repperisset apud auctorem suum, desumeret, Plutarchus autem ea, quae nimis magna admiratione legum Lycurgearum ab eo auctore, quem secutus est, ad illum legum latorem referri videret, ut parum comprobata omitteret et haud inepte a Terpandro et Pindaro virtutem bellicam cum musica coniunctam esse diceret. Neque minus huc pertinent, quae de hilotis dicuntur. Cfr. inst. Lac. § 40... χρηματισμοῦ δὲ συναγωγὴν ἔχοντος ἐργώδη καὶ πραγματείας οὐδ' ὁτιοῦν ἔδει διὰ τὸ κομιδῇ τὸν πλοῦτον ἄζηλον πεποιηκέναι καὶ ἄτιμον. οἱ δὲ εἵλωτες αὐτοῖς εἰργάζοντο τὴν γῆν ἀποφέροντες ἀποφορὰν τὴν ἄνωθεν ἱσταμένην. „ἐπάρατον δ' ἦν πλείονός τινα μισθῶσαι, ἵν' ἐκεῖνοι μὲν κερδαίνοντες ἡδέως ὑπηρετῶσιν, οὗτοι δὲ μὴ πλέον ἐπιζητῶσιν.“ Cfr. vit. Lyc. c. 24, ubi de eadem re iisdem fere verbis Plutarchum usum vides, ita ut alter ab altero ipsa verba mutuasse videatur; sed quae inst. Lac. addita habent ἐπάρατον δ' ἦν – ἐπιζητῶσιν apud Plutarchum omissa sunt.

Quae cum ita sint satis apparet libellum instituta Laconica continentem et Lycurgi vitam ex eodem fonte manavisse Sane quidem vix alio exemplo demonstrari potest Plutarchum unquam aliorum scriptorum libris ita usum esse, ut multis locis eos verbotenus exscriberet Sed ex magno numero eorum scriptorum, unde Plutarchus haurire potuit, perpauca frusta ad nos pervenerunt maximeque de rebus Lacedaemoniorum praeter Xenophontis libellum, ne ipsum quidem ab omni parte perfectum, ab iis scriptoribus, qui eas res tractaverunt, vix habemus tradita, quae ad hanc rem alicuius momenti sint. Sane

quidem Schoemannus sollerter demonstravit Plutarchum in describendis Agidis et Cleomenis vitis Phylarchum secutum esse. Sed non opus est statuere ea, quae Plutarchus ibi narravit e Phylarcho ipso hausta esse; nam potest ut aliorum libri, ipsi e Phylarcho derivati, a Plutarcho usurpati sint. Fortasse etiam in aliis libris a Plutarcho conscriptis nisi temporum iniuria permulta veterum scriptorum opera periissent, nonnulla ex aliorum scriptis verbotenus desumpta videremus. Atque id verisimillimum esse nostris diebus omnes fere, qui quibus fontibus Plutarchus usus videatur accuratius disputaverunt, concedunt. Cfr. G. Gilbertus (Stud. ad. vet. hist. Laced. Gotting. p. 96), qui etiam ea, quae Plutarchi ipsius, non aliorum esse videantur, saepenumero verbotenus ex aliorum libris transscripta esse dicit (Cfr. Rose Aristot. pseudepigr. p. 712). In eandem sententiam etiam disputavit Trieber (Quaestt. de rep. administr. Laced. p. 65), qui Plutarchum eius scriptoris, e cuius libris in singulis vitis verbotenus res transscripserit, ne mentionem quidem facere solere dicit. Cuius vero fuerit maius illud opus, unde et vita Lycurgi et libellus de institutis Laconicis manaverunt, in altera parte huius disputationis videbimus. Sed verisimillimum est, id quod etiam Fluegelius opinatur (Cfr. l. l. p. 17), apophthegmata quoque, quatenus quidem ad Lacedaemonios pertinent magnam partem eidem auctori tribuenda esse, cui instituta.

Facile autem fieri poterat, ut et instituta et apophthegmata Laconica posteris temporibus, cum maius illud opus, unde ea repetita videantur periiset, ad Plutarchum referrentur, quae cum ad quem vocanda essent grammatici ignorarent Chaeroneensi tribuerunt, quippe qui partim eadem libris suis exhiberet.

I.

Die allgemeine Lehrverfassung der Schule.

1. Die Übersicht über die einzelnen Lehrgegenstände und die für jeden derselben bestimmte Stundenzahl.

	I a.	I b.	II a.	II b.	III a.	III b.	IV.	V.	VI.	Summa.
1. Religionslehre . . .	2	2	2	2	2	2	2	2	2 [1]	9
2. Deutsch	3	3	2	2	2	2	2	2	3	21
3. Latein	8	8	8	8	9	9	9	9	9	77
4. Griechisch	6	6	7	7	7	7	—	—	—	40
5. Französisch	2	2	2	2	2	2	5	4	—	21
6. Hebräisch	2	2	2	2	—	—	—	—	—	4
7. Geschichte	3	3	3	3	2	2	2	1	1	20
8. Geographie . . .	—	—	—	—	1	1	2	2	2	8
9. Mathematik	4	4	4	4	3	3	4	4	4	34
10. Physik	2	2	2	2	—	—	—	—	—	8
11. Naturbeschreibung .	—	—	—	—	2	2	2	2	2	8
12. Schreiben	—	—	—	—	—	—	—	2	2	2
13. Zeichnen	2	2	2	2	2	2	2	2	2	6
14. Singen	—	1	1	1	1	1	1	1	1	
			1	1	1	1	1	1	1	4
					1	1	1	1	1	
15. Turnen	2	2	2	2	2	2	2	2	2	6

2. Die Übersicht der Verteilung der Stunden unter die einzelnen Lehrer.

Lehrer	Prima a.	Prima b.	Sekunda a.	Sekunda b.	Tertia a.	Tertia b.	Quarta.	Quinta.	Sexta.	Sa.
Prof. Dr. Heuse, Direktor.	Deutsch 3 St. Gesch. 3 St. Horaz 2 St.	Gesch. 3 St.			Gesch. 2 St. Geogr. 1 St.					14 St.
Prof. Schüngel, 1. Oberlehrer, Ordinar der Ia.	Religion 2 Stunden. Hebräisch 2 Stunden. (Prima a. und b.) Latein 6 St. Griech. 6 St.			Gesch. 2 St. Geogr. 1 St.						19 St.
Dr. Barkholt, 2. Oberlehrer, Ordinar der Ib.	Franz. 2 St.	Franz. 2 St. Latein 8 St. Griech. 6 St.			Franz. 2 St.					20 St.
Dr. Böhmer, 3. Oberlehrer.	Mathm. 4 St. Physik 2 St.	Mathm. 4 St. Physik 2 St.	Mathm. 4 St.	Franz. 2 St.		Franz. 2 St.				20 St.
Oberl. Dr. Berns, 1. ord. Lehrer, Ordinar der IIa.		Deutsch 3 St.	Latein 8 St. Griech. 7 St.			Gesch. 2 St. Geogr. 1 St.				21 St.
Capune, 2. ord. Lehrer, Ordinar der IV.			Religion 2 Stunden. Hebräisch 2 Stunden. (Sekunda a. und b.)		Religion 2 Stunden. (Tertia a. und b.)		Religion 2 Stunden. (Quarta und Quinta) Latein 9 St. Deutsch 2 St.		Relig. 1 St.	20 St.
Hölling, 3. ord. Lehrer.			Physik 2 St.	Mathm. 4 St. Physik 2 St.	Mathm. 3 St. Naturk. 2 St.	Mathm. 3 St. Naturk. 2 St.	Mathm. 4 St. Naturk. 2 Stunden. (Quarta und Quinta)		Naturk. 2 St.	26 St.
Reineke, 4. ord. Lehrer, Ordinar der IIIb.			Deutsch 2 St. Gesch. 3 St.			Latein 9 St. Griech. 7 St. Deutsch 2 St.				23 St.
Altkamp, 5. ord. Lehrer, Ordinar der IIb.			Franz. 2 St.	Deutsch 2 St. Latein 9 St. Griech. 7 St.			Franz. 5 St.			25 St.
Dr. Faber, 1. wiss. Hülfslehrer, Ordinar der V, vertreten seit Herbst durch Neuhöffer.					Deutsch 2 St.		Gesch. 2 St. Geogr. 2 St.	Latein 9 St. Deutsch 2 St. Franz. 4 St. Gesch. 2 St. Geogr. 1 St.		24 St.
Schunck, 2. wiss. Hülfslehrer, Ordinar der IIIa.					Latein 9 St. Griech. 7 St.				Latein 9 St.	25 St.
Pranghe, Gymnasial-Elementarlehrer, Ordinar der VI.	Zeichnen 2 Stunden. (Prima a. bis Tertia b.)	Gesang 1 Stunde. (Prima b. bis Sexta)	Gesang 1 Stunde. (Sekunda a. bis Sexta)		Gesang 1 Stunde. (Tertia a. bis Quarta)		Zeichnen 2 Stunden. (Quarta und Quinta)	Rechnen 4 St. Schreiben 2 Stunden. (Quinta und Sexta) Gesang 1 Stunde. (Quinta und Sexta)	Deutsch 3 St. Rechnen 4 St. Geogr. 2 St. Gesch. 1 St. Zeichn. 2 St.	26 St.
Holzhausen, Pfarrer, ev. Religionslehrer.	Religion 2 Stunden. (Prima a. bis Sekunda b.)				Religion 2 Stunden. (Tertia a. und b.)		Religion 2 Stunden. (Quarta und Quinta)		Relig. 1 St.	7 St.
Paß, Probe-Kandidat.					*Gesch. 2 St.	*Deutsch 2 St. *Geogr. 1 St.	*Geogr. 2 St.		*Geogr. 2 St.	9 St.
Spilker, Probe-Kandidat.				*Deutsch 2 St. *Homer 2 St. *Vergil 2 St.	*Ovid 2 St.					8 St.

* Probestunden.

Den Turnunterricht erteilten die Herren Dr. Faber und Pranghe; ersterer leitete in 2 Stunden die obere Abteilung (Ober-Prima bis Unter-Sekunda incl.), letzterer in je 2 Stunden die mittlere (Ober- und Unter-Tertia) und die untere (Quarta, Quinta und Sexta).

3. Übersicht über die während des abgelaufenen Schuljahres absolvierten Pensen.

Ober-Prima.

Ordinarius: Prof. Schüngel, Oberlehrer.

Religionslehre. I. (kath.) Die Lehre von Gott, von der Schöpfung und Erlösung. Wiederholungen, namentlich aus der Sittenlehre. 2 St. (Dreher, Lehrbuch der kath. Religion.) — Schüngel.

II. (evang.) a. Glaubenslehre: Die Lehre von Gott und seinen Eigenschaften, von der Dreieinigkeit, von der Schöpfung, Erhaltung und Regierung, die Lehre vom Menschen. b. Die letzten Reden des Herrn Jesus und sein hohenpriesterliches Gebet: Ev. Joh. C. 14—17 im griechischen Texte gelesen und ausgelegt. c. Kirchengeschichte: Die älteste Kirchengeschichte und zwar die erste Periode. d. Repetition der Kirchenlieder unter Berücksichtigung der Geschichte des Kirchenliedes. 2 St. (Hollenberg, Lehrbuch.) — Holzhausen.

Deutsch. a. Aus der Geschichte der zweiten Blüteperiode das Wesentlichste aus dem Leben der Hauptdichter, namentlich Goethes und Schillers; Lesung und Erklärung der lyrischen Dichtungen und Charakterisierung der bedeutendsten Dramen derselben, von denen ganz gelesen und erklärt wurden: „Iphigenie" und „Torquato Tasso" von Goethe. b. Wiederholte Dispositionsübungen und Korrektur der Aufsätze. 3 St. (Hense, Deutsches Lesebuch, II. Teil.) — Der Direktor.

Themata der Aufsätze:

1) Deutschland das Herz Europas in Geschichte und in Kultur.
2) Inhalt und Zweck des Monologes der Iphigenie im ersten Aufzuge.
3) Der peloponnesische und der dreißigjährige Krieg verglichen in ihren Gründen und Veranlassungen, in den wichtigsten Erscheinungen ihres Verlaufes und in ihren Folgen.
4) Welche Gründe hindern uns, Egmont unser Mitleid zu widmen? (Klassenaufsatz.)
5) Worin gleichen sich Achilles und Parzival?
6) Das Verhältnis des Horaz zu Mäcenas, soweit sich dasselbe aus den an diesen gerichteten Oden ergiebt.
7) Drei Blicke thu zu deinem Glück: Schau aufwärts, vorwärts, schau zurück!

Themata der Abiturienten-Aufsätze:

8) a) Herbst 1887: Warum nennt man mit Recht Friedrich Wilhelm von Brandenburg den großen Kurfürsten?
b) Ostern 1888: Welche Vorteile und welche Nachteile bringt die geographische Lage Deutschlands mit sich?

Latein. a. stat. Tac. Annal. I: ausgewählte Abschnitte, besonders die Germanenkriege; Cic. de off. III. b. curs. Auslese aus Livius XXI und XXIII. c. Wöchentliche Extemporalien. d. Wiederholungen aus der Grammatik und Stilistik. e. Korrektur der Aufsätze. 6 St. — Schüngel.

Horat. carmina III und IV in Auslese und einige Epoden; Wiederholung von I und II; zahlreiche Oden wurden memoriert. 2 St. — Der Direktor.

Themata der Aufsätze:

1) Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae.
2) Romanos et sua virtute et hostium dissensionibus claros esse factos.
3) Vicit Hannibalem non populus Romanus, sed senatus Karthaginiensis obtrectatione atque invidia. (Klassenaufsatz.)
4) Magnam Thebanorum, maiorem Lacedaemoniorum, maximam Atheniensium fuisse gloriam.
5) Romani bis debuerunt salutem viris Arpinatibus.
6) Nullis bellis ad maiorem virtutem populorum animi excitari solent, quam quibus libertas rei publicae agitur.
7) Propter gratiam ingratae patriae relatam Graecis Aristidem, Camillum Romanis admirationi fuisse.

Themata der Abiturienten-Aufsätze:

8) a) Herbst 1887: Quid in maximo quoque rerum discrimine coniunctum cum virtute consilium possit, praeclaris quibusdam comprobetur exemplis.
b) Ostern 1888: Insignem in Romanis fuisse patriae amorem exemplis comprobetur.

Griechisch. a. stat. Platos Apologie des Sokrates und Kriton; Homer. Ilias VII, VIII, IX, XI, XII in Auslese; Sophocles' Oedipus rex (mehrere Stellen wurden memoriert). b. curs. Auslese aus Xenoph. Hell. c. Wiederholungen aus der Grammatik. d. Extemporalien (deutsch-griechische und griechisch-deutsche). 6 St. (Schnorbusch und Scherer, Griech. Sprachlehre.) — Schüngel.

Französisch. a. Lektüre: Athalie par Racine; Histoire de la guerre de sept ans par Frédéric le Grand zum Teil. b. Alle 3 Wochen Extemporalien und schriftliche häusliche Arbeiten. c. Wiederholungen aus dem ganzen Gebiete der Grammatik. 2 St. (Ploetz, Schulgrammatik.) — Bartholt.

Hebräisch. a. Ausgewählte Abschnitte aus den hist. Büchern des A. T.; einzelne Psalmen. b. Wiederholung und weitere Ausführung der Grammatik. 2 St. (Vosen, Kurze Anleitung.) — Schüngel.

Geschichte. a. Geschichte der neuen Zeit von 1500 an; die brandenburg-preußische Geschichte bis 1871. b. Wiederholung der gesamten griechischen, römischen und mittelalterlichen Geschichte.*) 3 St. — Der Direktor.

Geographie. Die Alpenwelt; die physische und politische Geographie Deutschlands. Hin und wieder eine Stunde in der Woche statt einer Geschichtsstunde. (v. Seydlitz, Größere Schul-Geographie, Ausgabe C; Diercke und Gaebler, Schulatlas.) — Der Direktor.

Mathematik. a. Stereometrie, zweiter Teil; der binomische Lehrsatz. b. Vielfache Repetitionen und Übungen im Behandeln mathematischer Aufgaben. c. Schriftliche häusliche und Klassen-Arbeiten. 4 St. (Focke und Kraß, Mathematische Lehrbücher.) — Böhmer.

Abiturienten-Aufgaben für den Herbsttermin:

1) Ein Dreieck zu konstruieren aus einem Winkel (α), der von seinem Scheitel ausgehenden Mittellinie (t_1) und der Summe der Quadrate derjenigen beiden Seiten, welche den gegebenen Winkel einschließen ($b^2 + c^2 = s^2$).
2) Jemand wird beauftragt für 200 Mark 100 Flaschen Wein in dreierlei Sorten zu holen; von der ersten Sorte kostet jede Flasche 2,70 Mark, von der zweiten jede 1,60 Mark, von der dritten jede 0,90 Mark. Wie kann der Auftrag ausgeführt werden?
3) Man berechne die fehlenden Umfangsstücke eines Dreiecks, wenn der Inhalt $\Delta = 1291,5$ qcm, ein Winkel $\alpha = 74^0\ 27'\ 24''$ und die Höhe für eine einschließende Seite $h_3 = 51,66$ cm gegeben ist.
4) Bei einer geraden Pyramide mit quadratischer Grundfläche ist jede Grundkante 8 cm, jede Seitenkante 10 cm; man berechne den Radius einer Kugel, deren Volumen gleich dem Volumen der Pyramide ist.

Abiturienten-Aufgaben für den Ostertermin:

1) Ein Dreieck zu konstruieren, wenn man von demselben kennt einen Winkel α, die von seinem Scheitel ausgehende Mittellinie t_1 und die Summe der beiden den Winkel α einschließenden Seiten $b + c = s$.
2) Man bestimme die Werte von x und y, welche den Gleichungen I. $2x^2 - xy - y^2 = 8$, II. $x^2 - xy + y^2 = 7$ genügen.
3) Die Winkel und die fehlenden Seiten eines Dreiecks zu berechnen, wenn in demselben eine Seite $a = 21$ cm, die Summe der beiden anderen Seiten $b + c = 31$ cm und der Radius des eingeschriebenen Kreises $\rho = 4,5573$ cm ist.
4) Durch eine Kugel vom Radius $r = 12$ cm hat man eine Ebene so gelegt, daß der Mantel des kleinern Segments gleich dem Mantel desjenigen Kegels ist, der über der Durchschnittsfläche errichtet ist und seine Spitze im Kugelcentrum hat. Um wieviel übertrifft das Volumen des Segments das Volumen des genannten Kegels?

Physik. Die Lehre vom Schall und die Lehre vom Licht. 2 St. (Koppe, Anfangsgründe der Physik.) — Böhmer.

Unter-Prima.

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Barkholt.

Religionslehre. Kombiniert mit Ober-Prima.

Deutsch. a. Übersicht über die Perioden der Litteraturgeschichte des Mittelalters; Studium der sogen. ersten Blüteperiode, namentlich Lesung und Erklärung des Nibelungenliedes, der Gudrun, einzelner Stücke aus dem Kunstepos und der Lieder Walthers. b. Lesung und Erklärung von Schillers „Braut von Messina". c. Dispositionsübungen und Korrektur der Aufsätze. 3 St. (Hense, Deutsches Lesebuch, I. Teil.) — Berns.

Themata der Aufsätze:

1) Wie veranschaulicht Schiller in seinen Balladen die Idee der göttlichen Gerechtigkeit?
2) Wodurch charakterisiert sich das Walthari-Lied als eine nationale Dichtung?
3) Es soll der Sänger mit dem König gehen.
4) Μέμνησο ἄνθρωπος ὤν. (Klassenaufsatz.)
5) Wodurch ist die Charakterwandlung der Krimhilde im Nibelungenliede gerechtfertigt?
6) Des Helden Name ist in Erz und Marmorstein so wohl nicht aufbewahrt als in des Dichters Liede.
7) Siegfried und Achilles.
8) Die Charakterentwicklung Parzivals.
9) Worauf beruht es, daß das Zeitalter der Hohenstaufen als das glänzendste der deutschen Geschichte angesehen wird?
10) Der Krieg hat auch seine Ehre. (Klassenaufsatz.)

Latein. a. Tacit. Germ., Cic. pro Archia; Cic. pro Milone. b. Das Notwendigste aus der Lehre über Bildung der Nomina; Wiederholung und Erweiterung der Syntax; Stilistik. c. Korrektur der Aufsätze und Extemporalien. d. Das Wichtigste aus der Prosodie und Metrik. Horat. carm. I und II in Auslese; mehrere Oden wurden memoriert. 8 St. — Barkholt.

*) Mit Genehmigung der Königlichen Behörde kommt von Ostern ab für die 4 oberen Klassen statt des bisher gebrauchten Grundrisses der Geschichte von Pütz das Handbuch der Geschichte von H. Stein zur Einführung.

Themata der Aufsätze:

1) De rebus ab Hannibale in Hispania gestis.
2) Quibus de causis Cicero in oratione de imp. Cn. Pompei habita bellum Mithridaticum necessarium iudicaverit, demonstretur.
3) Cicero quanta diligentia ac fortitudine Catilinae coniurationem oppresserit.
4) Quae potissimum Romanorum virtutes in bello cum Pyrrho gesto enituerint. (Klassenaufsatz.)
5) Quas potissimum virtutes veterum Germanorum Tacitus laudaverit.
6) Quibus rebus commotus sit Cicero, ut pro Archia causam diceret.
7) Quanta sit fortunae inconstantia exemplis quibusdam ex antiquitatis historia petitis ostendatur.
8) Quibus rebus factum sit, ut Cicero anno duodesexagesimo a. Chr. n. patria expelleretur.
9) Quo modo Clodium interfectum esse Cicero exposuit?
10) Themistocles, Aristides, Cimo quid ad magnitudinem rei publicae Atheniensium constituendam atulerint. (Klassenaufsatz.)

Griechisch. a. Thucydides, lib. I, in Auslese; Homer. Ilias I, II halb und III, IV, V in Auslese. b. Wiederholungen aus der Grammatik. c. Extemporalien und schriftliche häusliche Arbeiten. 6 St. (Schnorbusch und Scherer, Griechische Sprachlehre.) — Barkholt.

Französisch. a. L'Avare par Molière. Histoire de Frédéric le Grand par Paganel zum Teil. b. Extemporalien und schriftliche häusliche Arbeiten. c. Grammatik: Regeln über den Inf., Rektion der Verben, Pronomina; Wiederholungen. 2 St. (Ploetz, Schulgrammatik.) — Barkholt.

Hebräisch. Kombiniert mit Ober-Prima.

Geschichte. Die Geschichte des Mittelalters und die Geschichte der Reformation. 3 St. — Der Direktor.

Geographie. Die Alpenwelt und die Orographie Deutschlands. 1 St. im W.-S. statt einer Geschichtsstunde. (v. Seydlitz, Größere Schul-Geographie, Ausgabe C.; Diercke und Gaebler, Schulatlas.) — Der Direktor.

Mathematik. a. Repetition und Erweiterung der Trigonometrie. b. Arithmetische und geometrische Reihen; Zinseszins- und Renten-Rechnung; diophantische Gleichungen. c. Stereometrie, erster Teil. d. Schriftliche häusliche und Klassen-Arbeiten. 4 St. (Focke und Kraß, Mathematische Lehrbücher.) — Böhmer.

Physik. Die Mechanik der festen, flüssigen und luftförmigen Körper. 2 St. (Koppe, Anfangsgründe der Physik.) — Böhmer.

Ober-Sekunda.

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Berns.

Religionslehre. I. (kath.) Kirchengeschichte; lateinische Psalmen und Hymnen. 2 St. (Dreher, Lehrbuch der kathol. Religion.) — Capune.

II. (evang.) Kombiniert mit Prima.

Deutsch. a. Übersicht über das Leben und die bedeutendsten Werke von Lessing, Goethe und Schiller. Lektüre und Erklärung von Lessings „Minna von Barnhelm", Schillers „Maria Stuart" und den Balladen von Goethe. b. Deklamationsübungen nach dem Kanon. c. Übungen im Disponieren und Korrektur der Aufsätze. 2. St. (Hense, Deutsches Lesebuch, II. Teil.) — Reineke.

Themata der deutschen Aufsätze:

1) Krieg und Sturm, eine Parallele.
2) Der Fischer von Goethe und das Fischerlied von Schiller, Tell I, 1.
3) Charakteristik Paulets. (Schillers „Maria Stuart".)
4) Durch welche Mittel erlangte und befestigte Tarquinius Superbus seine Herrschaft?
5) Inwiefern bildet der 1. Aufzug in Schillers „Maria Stuart" die Exposition des Dramas?
6) Arbeit ist des Blutes Balsam, Arbeit ist der Tugend Quell. (Herders Cid.)
7) Welche Gründe bewogen Elisabeth, das Todesurteil über Maria zu bestätigen?
8) Welchen Nutzen gewähren uns der Umgang mit der Natur und deren Betrachtung? (Klassenaufsatz.)
9) Ist Volkes Stimme allzeit auch Gottes Stimme?
10) Von allen Kriegen, die Rom jemals geführt hat, gebührt dem zweiten punischen der Vorrang.
11) Charakteristik des Wirtes in Lessings „Minna von Barnhelm".
12) Warum zog Hannibal auf seinem Zuge nach Italien den Weg über die Alpen dem Seewege vor? (Klassenaufsatz.)

Latein. a. Lektüre: Cicero de imperio Cn. Pomp.; Livius lib. XXI, 40—63 und XXII, 1—10; Verg. Aen. lib. III und V zur Hälfte. b. Wiederholungen aus der Grammatik; Stilistik; Anleitung zur Anfertigung lateinischer Aufsätze. c. Mündliche Extemporalien. d. Schriftliche Extemporalien und häusliche Arbeiten; Aufsätze. 8 St. (Schultz-Wetzel, Lateinische Schulgrammatik.) — Berns.

Themata der Aufsätze:

